



# R. P. D.

# CAPRARA

## Cracovien. Parochialis.

*Veneris* 24. *Aprilis* 1750.

1 PArochialis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & Sancti Nicolai Villæ Dziekanovvicæ Vacatione superventa per obitum Peti Bakovvski illius ultimi Possessoris, sequutum die 17. Decembris anni 1747., duo primum coram Officialis Cracoviæ comparuerunt Patroni ad præsentandum; Ignatius nempe Remiszovvski qua Possessor ejusdem Villæ Dziekanovvicæ, qui præsentavit Joannem Snicinski, & Gregorius Zauadski, qua Possessor

 Villæ

Villæ de Niezdovv, qui suam nominationem, & præsentationem explevit favore Casimiri Jarmundovicz. Lite hinc inter Præsentatos non minus, quam inter Patronos coram Officiali Cracoviæ contestata, Joannes Snicinski nominationi, & præsentationi, quam ab Ignatio obtinuerat, nec non Liti pendenti solemniter renunciavit; Quo circà solus Ignatius alter ex Patronis judiciale certamen continuavit cum Gregorio alio Patrono, & Casimiro istius præsentato. Verum idem Ignatius contrariam passus fuit Sententiam concedentem Casimiro Institutionem, & controversam Parochialem, & jura Patronis pro futuris vacationibus reservantem, adversùs quam appellatione per Ignatium ad Tribunal Nunciaturæ Poloniæ interposita, interim præfatus Ignatius paravit Casimiro novum Contradictorem ope alterius præsentationis, quam, pessumdato obstaculo pendentiæ Litis, de facto explevit favore Laurentii Latosinski. Post hæc prodiit in enunciato Tnibunali Nunciaturæ Sententia prioris revocatoria, declarans, Ignatio competiisse, & competere jus præsentandi, & Laurentium ad Ordinarium Cracoviæ pro obtinenda Institutione remittens.

2 Rebus in hoc statu manentibus, tertius comparuit, seseque opposuit Patronus, Joseph nempe Stadniski, uti Possessor Villæ de Laganovv, qui horum omnium, quæ gesta fuerant, ignarus, ne suis juribus præjudicium inferret, adhæsit nominationi a Gregorio Zavadzki in personam Casimiri expletæ. Quapropter, obtenta per eumdem Casimirum Commissione Appellationis mihi directa, & una simul omnes tollerentur ambages, expedivit quoque Literas Apostolicas subrogationis gratiosæ in Juribus Joannis Snicinski, qui virtute emissæ renunciationis a Lite recesserat; quarum exequutio mihi pariformiter fuerit commissa, proposui in hodierna Audientia congruum Dubium utramque quæstionem complectens = *An, & cui sit adjudicanda Parochialis, seù potiùs Literæ Apostolicæ sint exequendæ in casu &c.* = quod favore Casimiri resolvi promeruit, mediante responso = *Parochialem adjudicandam esse Casimiro, & Literas Apostolicas esse exequendas* =

3 Eo Siquidem ipso, quòd post contestatam Litem coram Officiali Cracoviensi inter Joannem Snicinski præsentatum ab Ignatio Remiszovvski, & Casimirum Jarmundovicz, præsentatum a Gregorio Zavadski, Joannes Collitigans suæ præsentationi plenissimè renunciavit, plane consequitur, quod Parochialis adjudicari debeat Casimiro jus validum, & efficax ad assequendum Beneficium habenti, excluso penitùs Laurentio Latolinski, nulliter, ac invalidè præsentato ab Ignatio Remiszovvski post renunciationem a Joanne Snicinski

emissam

emissam, cum explorati juris sit, quod, Lite inter Præsentatos pendente, si alter ipsorum decedat, aut Liti cedat, Beneficium jampridem controversum, & remotionem obstaculi, seu contradictionis, adeo debeatur Collitiganti Superstiti, ut nova præsentatio per Patronum in alterius Personam collata, eo ipso nulla, irrita, & attentata remaneat, ut expreſsè sancitur per *Text. in cap. primo & 2. ut Lite penden. in 6.*, & consentaneè firmant *Varis. de resignat. Benef. lib. 2. quæst. 3. num. 97.*, *Barbos. de potest. Episc. allegat. 57. num. 47. & 48.*, *Amyden. de Stylo Datariæ cap. 24 § primo num. 53*, *Ros. de exequut. Litter. Apostolic. cap. 17 num. 5. & 154.*, *Lotter. de re Benef. lib 2. quæst. 20. n. 114.*; cum aliis abundè cumulatis *per Rot. in Comen. Parochialis 10. Februarii 1613. §. Stante coram Emo D. Card. Aldrovando impressa apud*, *Piton. de controv. Patron. allegat. 100 num. 383.*

4 Idque jure optimo statutum est, ne Collitigans Superstes, novum habeat Contradictorem, & sic in Ecclesiarum perniciem litigia protrahantur, ad quæ extirpanda, Superstiti Collitiganti dandam esse gratiosam subrogationem in juribus ipsius Cedentis, aut Decedentis, quemadmodum de facto obtinuit Casimirus, statuitur *in regul. 29. Cancellar.* ut advertunt, *Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. Gloss. 51. num. 112.* *Rot. decis. 204. num. 1. coram Duran.*, & prosequitur *citat. decis. Comen. Parochialis apud Piton. ubi supra d. n. 383. circa fin.*

5 Obicem quin præbeat exceptio, quod sicuti Joannes Snicinski suæ præsentationi, antequam Ordinarius quidquam super Institutione judicasset, renunciavit, ita licitè potuerit Ignatius Remiszovvski ad novam præsentationem alterius favore devenire, non attenta Litis pendentia, quæ impedimento dumtaxat esse potuisset, ubi Lis fuisset contestata inter Patronos, at non item, quando, prout in casu, Lis agebatur inter Præsentatos tantum, quia in hisce circumstantiis non prohibetur Patronus consectariè ad quasi possessionem præsentandi, id qua reperitur Alterum in locum renunciantis ope itaratæ præsentationis, præcipuè intra Quadrimestre, subrogare, ad firmata *per Rot. in decis. 94 num. 10. coram Gregor.*, *decis. 691. num. 20. coram Molin.*, *decis. 336. numer. 5.*, *& 6. coram Crispo*, *& in Bononien. Parochiliat 26. Januarii 1711. §. final. coram bon. mem. Caffarello impress. apud Fargn. de jurepatr. part. prima cons. 5. cas. 6. num. 15.*

6 Ejusmodi namque Discursus est a toto genere extraneus a Themate controversiæ de qua agimus. Hic enim non quæritur, an Patroni, vigente Lite inter Præsentatos, possint alium

 cumu-

cumulativè præsentare, de qua re agit *Lambertin. de jurepatr part. prima lib. 2 quæst. princip. prima art. 12. numer. 19.* Minusque disceptatur, an, Lite vigente inter Patronos, eisdem datum sit ad Præsentationem procedere, ad effectum excludendi devolutionem provisionis Beneficii ad Superiorem, & de hac quæstione agunt Decisiones mox in objectione allegatæ.

7 Sed sumus in disparatissimis terminis, in quibus duo ab initio Præsentati Litem cum interventu Patronorum instituerunt, & in Litis decursu alter ex Præsentatis ab eadem Lite per renunciationem recessit. In quo Themate est juris non ambigui, quod sivè quadrimestre esset effluxum, sive nondum elapsum, & sivè Lis penderet inter solos Præsentatos in Possessorio, sivè, prout in casu, etiam in Petitorio cum interventu Patronorum, iisdem datum non erat ad novam alterius præsentationem devenire, quia semper urget potissima ratio, quòd Superstiti Collitiganti, dari non debet novus Collitigans, juxta laudatum *Text. in cap. 1., & 2. ut Lit. penden. in 6.*, ubi *Canonistæ*, & optime ad rem tradunt *Pesserin. in cap. Dispendiis num. 2. eodem tit.*, *Lambertin. de jurepatr. part. prima lib. 2. quæst. princip. 1. art. 12. num. 19.*, *Rot. decis. 599. num. 17. part. 4. tom. 3. Recentior.*, *& decis. 24. num. 11. coram Benincas.*, *& decis. 843. numer. 12. coram Lancetta*, *& decis. 2. num. 4. lib. 13. in Mantiss. ad Card. de Luca*, *& in Romana Capellaniæ* 3. *Februarii* 1708. §. *Firmo coram clar. mem. Cardinali Scotto in press. apud Farg. de jurepatr. part. prima can. 5. cas. 2. num. 21.*

8 Optimo hinc quoque jure descendebat, quod denegari haud poterat exequutio Literis Apostolicis Subrogationis gratiosæ in juribus Collitigantis, quas expedivit Casimirus. Cum enim ad liquidum constaret tum de Clericatu, tùm de Idoneitate Casimiri, tùm de Litis contestatione super institutione ad controversam Parochialem inter dictum Casimirum, & Joannem Snicinski, tùm demùm de renunciationi Liti, & juri suo, ab eodem Joanne emissa, nihil utique proponi poterat, propter quod exequutioni committi non deberent Litteræ Apostolicæ Subrogationis gratiosæ, undequaque justificatæ, ut ad *Text. in cap. Si Capitulo*, ibique *Gloss. verb. exequut. de concess. Præben. in 6.*, & firmat *Rot. in Valentina Beneficii* 14. *Januarii* 1746. §. 3. *coram Me*, cum ibi allegatis.

9 Et frustra Laurentius aggrediebatur arduam illam, ac perdifficilem provinciam, probandi, calumniosam fuisse Litem, quæ à Casimiro coram Ordinario fuerat instructa pro controversæ Parochialis assequutione, sub obtentu, quod Possessores

fores Villarum de Niezdovv, & Lagonovv, qui Casimirum præsentarunt, nullum foverent jus, per quod reputari valerent legitimi Patroni. Quamvis enim verum sit, quòd, probata calumnia Litis, inefficax prorsus evadat subrogatio in Juribus Collitigantis, qui decessit, aut Liti renunciavit, æque tamen certum est, quod ad hoc, ut Lis ad præmissum effectum calumniosa reputetur, indeclinabiliter requiritur, ut calumnia appareat adeo clara, & manifesta, ut nullo penitus disputabili velamine colorari valeat, adeoùt temeraria, cavillosa, atque omni probabili Juris opinione destituta deprehendatur, aliàs enim, ubi Lis aliquam habet probabilem Causam, semper tribuit jus undequaque validum, & efficax ad petendam, & obtinendam subrogationem in juribus Collitigantis, ut docuerunt *Franc. in cap.* 1. *num.* 5. *vers. Cogita, ut lit. penden. Rebuff. sub regul. de subrogan. Gloss.* 7. *num.* 5. *Rot. coram Seraphin. decis.* 1165. *num.* 9., *& decis.* 297. *num. primo coram Cerro, & decis.* 179. *num.* 8. *coram Celso decis.* 96. *num.* 11., *&* 12. *coram Otthobon dec.* 92. *in fin. coram bon. mem. Card. Caprara, & dec.* 607. *num.* 17. *part.* 5. *Rec.*

10 His autem præmissis, in eversionem calumniæ ponderabant DD., quod favore Possessorum Villarum de Niezdovv, & Lagonovv, qui Casimirum præsentarunt, unisonè militabant tùm Sententiæ, & Res judicatæ initium ducentes ab anno 1740., & ad annum usque 1741. excurrentes, per quas Juspatronatus controversæ Parochialis præcipuè adjudicatur Possessoribus Villarum de Niezdovv, & Lagonov, tum præsentationes à dictis Possessoribus cum effectu expletæ, tùm Decreta edita ab Ordinariis occasione Sacrarum Visitationum, in quibus dicti Possessores utriusque Villæ enunciantur Patroni controversæ Parochialis: Hæc autem omnia simul juncta cum favorabili Sententia Institutionis, quam Casimirus, uti præsentatus à Gregorio Zavadski, qua Possessore Villæ de Niezdovv, obtinuit ab Ordinario Cracovien., suspicari non sinunt, Casimirum præsentatum, & Gregorium possessorem dictæ Villæ Patronum præsentantem, calumniosè in Lite stetisse ad firmata per *Ros. de exequut. Litterar. Apostolic. part.* 1. *cap.* 172. *in fin. Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæst.* 20. *num.* 97. *Rot. dec.* 396. *n.* 7. *cor. Celso, & dec.* 843. *num.* 13. *cor. Lancetta.*

11 Nec quidquam refragatur, quod potiora essent jura, quæ assistebant tam Ignatio Remiszovvski, quam Laurentio Istius præsentato, tamquam suffulta nedum antiquis statibus annorum 1640. 1663. & 1685., sed ultimis quoque statibus annorum 1720. & 1724., exinde inferendo, quod sicuti Lis super Institutione orta Casimirum inter, & Laurentium, juxta

ta eosdem status erat decidenda favore ipsius Laurentii, ita clarum dici debeat malum jus, quod per manifestam calumniam coram Ordinario Cracovien. unà cum Patrono propugnavit Casimirus,

12 Quandoquidem ad durissimum effectum impingendi notam calumniosi, & improbi Litigantis assumi non debet rigorosa, & plenaria meritorum discussio super asserta præponderantia Jurium Laurentii ab Ignatio præsentati; Sed in hoc, in quo sumus; exequutionis Literarum Apostolicarum Judicio est unicè inspiciendum, an Contradictor, qui de calumnia redarguitur, adeò temerè se gesserit, ut nullam habere potuerit saltem opinabilem spem, sua jura tuendi, ita quidem ut Litem notoriè injustam sustentaverit, ut præter auctoritates in superiori §.8. in fin. allegatas, advertit *Rot. in decis. 780. sub num. 15. coram Molin.*, *& in Mediolanen. Jurispatronatus* 15. *Januarii* 1725. §. *Ex hoc uno coram bon. mem. Cerro*, *& in Calaguritana Beneficii, seù Portionis super subrogatione gratiosa* 28. *Januarii* 1726. §. *Præexistentia*, *&* 29. *Martii ejusdem anni* §. *Et sane coram bon. mem. Crispolto*.

13 Hujus generis reputari haud poterat Lis à Casimiro sustentata, quia Ipse justam habuit litigandi causam, & spem probabilem habere utique potuit, sua jura tuendi, simulatque una cum Patrono, à quo fuerat Præsentatus, suffultus erat præsidiis superius perpensis, absque eo quod ea, quæ à Laurentio, & Ignatio opponebantur, adimere valuerint eidem Casimiro omnem spem opinabilem sua jura tuendi; Nam rationum momenta, quibus Laurrntius, & Ignatius innitebantur non erant adeò clara, & expedita, ut Litem notoriè calumniosam ostenderent, sed imò erant turbida, & implexa, sive quia in ultimis, & præcedentibus statibus, contra Casimirum, & Gregorium Patronum oppositis, Possessores Villarum de Niezdovv, & Laganovv non comparuerant, ex quo per solita adjecta non fuerant vocati; Sive quia præsentationes factæ à Possessoribus alterius Villæ Dziekanovvice fuerant simpliciter expletæ, non autem privative, & & per modum exclusionis Compatronorum, sive demum quia Sententiæ Institutionum, quæ in dictis ultimo, & præcedentibus statibus prodierant, reservabant jura competentia aliis Compatronis.

14 Quibus in circumstantiis nemo inficiabitur, quod res esset hinc inde dubia, & disputabilis; Id, quod exuberat, ut omnis calumniæ suspicio abscedat, ad effectum exequendi Apostolicas Literas subrogationis gratiosæ, ut firmant Doctainæ *in superiori* §. 12. *allegatæ*, & signanter *Rota in dec.* 780. *sub num.* 15. *vers. Domini tamen*, *& num.* 16. *coram Molines*.

*lines*. Addito insuper, quod Casimirus in Tribunali Officialis Cracovien. favorabilem obtinuia Sententiam, quæ, utcumque subindè revocata in Tribunali Nunciaturæ, multum confert pro excluoone calumniæ, ut ponderat *Rot. in dicta Calaguritana Beneficii, seù Portionis super subrogatione gratiosa* 28. *Januarii* 1726. §. *Præexistentia*, & 29. *Martii ejusdem Anni coram bon. mem. Crispolto cum ibi allegatis*.

Et ita utraque &c.

ROMÆ, MDCCL.
Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

*Superiorum permissu*.

Druki cyrylickie
dotyczące dziejów
ruskich województw polskich

20.000